PA 6656
.B6
Copy 1

PA 6656
.B6
Copy 1

DE

FIDE ET AUCTORITATE

CODICIS SALLUSTIANI VAT. 3864.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA


AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GUSTAVUS BOESE

CLAUSTHALIENSIS.



GOTTINGAE MDCCCLXXIV.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

PA6656
.B6

96-845406

Inter omnes, quot ad nostra tempora pervenerunt, Sallustii libros manuscriptos vix ullum exstare puto, de cujus auctoritate magis ab hominibus doctis disputatum sit, quam de codice Vaticano nr 3864. praecipuam ejus rationem habendam esse, qui primus certas quasdam leges artis criticae in Salustii scriptis rectius exercendae praescripsit, C. L. Rothius judicavit (in mus. Rhen. vol. 9. p. 129 ann.). neque aliter statuit Gust. Linkerus, qui (in praef. ed. p. 6) aperte profiteatur se fortasse magis, quam fecerit, codicem illum sequi debuisse. Rudolphus autem Dietschius (in ed. maj. a. 1859 evulg. comm. cap. 1. p. 18) tantam olim codici auctoritatem tribuit, ut omnes reliquos illo examinari vellet. quae sententia in universum laudem tulit etiam Ed. Woelfflini (in phil. vol. 9. p. 154. 521.) contra Henr. Jordanus (in mus. Rhen. vol. 18. p. 584 seqq. Herm. 1. 221 seqq.) id potissimum demonstrare conatus est codicem Vaticanum, quamquam in fragmentis historiarum pro optimo fundamento verborum recte recensendorum habeatur oporteat, tamen ubicunque in libris de conjuratione Catilinae et bello Jugurthino auctoritas codicis Parisini Sorbonici nr. 500 intercedat, summa certe cautione esse adhibendum. satis enim patere codicem a rhetore aliquo ex arbitrio correctum aut potius corruptum esse; id quod ex parte quidem jam antea etiam Linkerus et Dietschius perspexisse sibi videbantur, quorum alter quidem (praef. p. 6) dicat verborum collocationem in codice saepe eam esse, qualem ab ipso Sallustio profectam vix credibile sit, alter concedat (in ed. maj. comm. cap. 1. p. 12) non deesse vestigia, quae grammaticos a scriptoris verbis manus non prorsus abstinuisse declarent. Jordani judicium postero tempore Ad. Eussnerus, (in exercit. Sallust., quae primo libro, quo societas philologa philologos a. 1868 Wirceburgi convenientes salutavit p. 158 seqq. continebantur, deinde etiam seorsum eodem

anno in lucem prodebantur) Dietschius (in ed. min. a. 1868 praef. p. 3) priore opinione mutata, Fr. Doroth. Gerlachius (in ann. Heidelb. a. 1868 p. 881 seqq.) sed is quidem dubitanter comprobaverunt. contra cum Jordano dissentiunt, qui praeter illos nuper de auctoritate codicis disputaverunt, Alfr. Weinholdus et Th. Dieckius. horum enim sententia, quamquam in singulis saepius differt, in eo tamen congruit Jordani judicium probari non posse. ille enim (in act. phil. Lips. vol. 1. p. 185 sqq.) tantum abest, ut librum interpolatum esse concedat, ut ubique maximam esse illius fidem denuo contendat. qua persuasione ductus omnibus locis, quibus neque sententia neque sermo Latinus idemque Sallustianus aliud jubeant, illum ut ducem atque auctorem sequendum esse (p. 226), collata autem inter se Vi. ceterorumque, qui integros de conjuratione Catilinaria deque bello Jugurthino libros contineant, codicum memoria horum ipsorum fidem et auctoritatem rectius perspici posse existimat (p. 232). Dieckius vero (in comm. de ratione, quae inter Sallustianos codices Vat. 3864 et. Par. 500 intercedat Halis Sax. 1872 evulg.) Pum non despiciendum quidem esse arbitratur, praeferendum autem V. omnibus eis locis, quibus certum judicium de singulis lectionibus utriusque codicis statui non possit (p. 49). hac tanta sententiarum discrepantia, quae etiam augetur judiciis eorum, qui in ind. phil. 4. 349 seqq. 5. 361 sqq. suppl. 1. p. 695 sqq. Weinholdi et Dieckii commentationes recensuerunt, quaestio de auctoritate codicis Vi. minime jam ad certum aliquam finam perducta est. etiamnunc restat, ut argumentis priorum accurate inter se comparatis examinatisque, quid singulis sententiis tribuendum sit, exploretur ac tandem judicium, quod omnibus placeat, proponatur. sed priusquam ad hoc transeo, breviter de codicis conditione disserendum est. —

Codice Vaticano nr. 3864 (Vus), quem accuratius descripserunt Rothius et Jordanus (ll.), Caesaris commentarii de bello Gallico, particula descriptionis Aethici, epistolae Plinii, deinde „c. crispi Sallusti orationes excerptae de bellis, orationes excerptae de historiis, epistolae ejusdem“, denique in fine duae epistolae ad Caesarem senem de re publica conti-

nentur, e quibus scriptis, ut alia omittam, orationes et epistolae e Sallustii historiis excerptae et epistolae ad Caesarem de re publica etiam in duobus codicibus seculi XV. B (Urbin. 411) et C (Vatic. 3415) adhuc servatae sunt, quorum quidem uterque e codice Vo derivatus est (cfr. Jordanus in mus. Rhen. 18. 588). singulae autem orationes et epistolae e Catilina et Jugurtha desumptae, quamquam non omnes, quot in Vo exstant, praeterea in codice Bernensi 357 sec. X. scripto inveniuntur (cfr. Rothius in mus. Rhen. 9. 129 ann. Woelfflinus in phil. 17. 153), qui in omnibus, quae ei cum Vo communes sunt partibus, praeterquam quod omnino multo negligentius scriptus est (cfr. Weinhold. p. 230 Dieck. p. 8) miro modo etiam cum illius mendis erratisque congruit (cfr. Dieck. p. 6 seqq.). jam Vum e Bernensi non transcriptum esse inde facile concludi potest, quod Vus praeter orationes et epistolas, quae B. quoque traditae sunt, etiam plures exhibet, deinde autem, quod multa verba, quae in B. perverse omissa sunt, in Vo suis locis inveniuntur, ut Cat. 58. 14 verba „amissis bonis", Jug. 14. 8 „pater-concessit", in B. intercidisse Vi aliorumque codicum auctoritate confirmatur. plura exempla collegit Dieckius p. 8. nec magis probabile est B. e Vo fluxisse. exstant enim loci aliquot, quibus in Vo solo menda inveniuntur, in B. autem integra scriptura etiam reliquorum librorum mscrptorum legitur, ut Jug. 24. 2 B (P?) „expulit" Vus „expuli", Cat. 20. 10 B (P?) „hominum" Vus „hominem" (cfr. Dieckius p. 9.). cum igitur constet alterum codicem ex altero non esse descriptum, similitudo illa inde potissimum nata videtur, quod uterque ex uno eodemque libro antiquiore originem duxit, in quo omnes, quot in Vo supersunt, orationes et epistolae ex integris Sallustii libris excerptae legebantur, quarum postea nonnullae in B. casu aliquo omissae sunt. archetypum illum litteris capitalibus scriptum fuisse e mendis librarii ad litteras capitales referendis conjici posse Dieckius (p. 9 ann.) recte perspexit. sic in Vo Jug. 110. 1 „eore" pro „fore", in B. Cat. 52. 36 „in cujus" pro „in civis" legitur. minus credibile videtur, quod item per se quidem fieri poterat, a diversis librariis orationes et epistolas, quae nunc in utroque codice exstant, sive ex eodem sive e duobus inter

se simillimis aetatis suae libris, quibus integra Sallustii opera retinebantur, suo arbitrio excerptas esse. archetypum illum, e quo fluxisse codices Vum et B. statuimus, quin cum J. Caspar. Orellio (in Jahnii ann. 3. 40 seqq. hist. crit. eclog. e Sall. hist. libr. p. 10) putemus a grammatico aliquo sive rhetore, id quod Jordanus praetulit (in Herm. 1. 232), Frontonis temporibus compositum esse nihil est, quod obstet. namque jam a veteribus eodem modo, quo in Vo et B. factum videmus, collectiones singularium partium e scriptorum operibus selectarum institutas esse Frontonis, (p. 122. 309 ed. Mediol. a. 1815 evulg.) Suetonii, (in vita Domit. cap. 10 ed. Bipont.) Dionis Cassii (in libri 67. cap. 12) testimoniis probari posse videtur (cfr. Woelfflinus in phil. 17. 520). num vero ille sive grammaticus sive rhetor, qui primus ex integris Sallustii operibus ea, quae etiamnunc in Vo inveniuntur, sejunxit, idem fuerit atque auctor ille ignotus epistolarum ad Caesarem, admodum dubium est. vix enim hominem orationis exsoletae studiosissimum, qualem fuisse, quicunque illas epistolas conscripsit, satis apparet, cum Sallustii scripta excerperet et recenseret, eum totius orationis colorem admisisse credibile est, quem in epistolis Sallustii exemplum imitatus diligentissime vitare studuit. itaque hac certe in re Orellium, et qui eum secutus est, Jordanum verum non perspexisse existimandum est (cfr. Weinholdus p. 189. Wirzius in ind. phil. 4. 350), quamquam concedes judicium, quod Jordanus de condicione Vi fecit, nihilominus valere posse. videtur autem homo ille alioquin sagacissimus opinione praejudicata in errorem inductus esse. nam cum in priore commentatione (in mus. Rhen. 18. 589) judicasset grammaticum aliquem sec. V. cum Victoris libro de Caesaribus et ignoti scriptoris de viris illustribus libellum de origine gentis Romanae ab ipso conscriptum conglutinasse et ita edidisse, idem de Vi eclogis Sallustianis statuere facile impulsus est. sed utut de hac re judicandum est, id quidem satis patere videtur minime codices Vum et B., id quod Dietschius (in ed. maj. p. 12) respectu maxime habito codicis Pi 188 rectissime perspexit, comparandos esse cum codice Po. 6082 sec XV. scripto, qui, quamquam et ipse eclogas Sallustianas exhibet, sed eas ex iisdem,

qui nobis adhuc servati sunt, libris mscrptis medio demum aevo congestas, haud dignus est, quem respiciamus, cum novi quidquam non afferat. contra Vus, si jam Bernensem, quippe qui propter totam rationem minoris quam Vus aestimandus est, mittimus, propterea haud contemnendus videtur, quod ille, modo quae supra exposita sunt, probentur, e libro nunc nobis deperdito originem duxit, in quo verba Sallustii e parte aliter scripta exstitisse apparet, quam nunc in eis codicibus omnibus leguntur, quibus integra scriptoris opera servata sunt. sed etiam magis valere codicem eo efficitur, quod ea verba, quae aliter quam in reliquis in archetypo olim scripta fuisse Vi testimonio probatur, jam illo tempore ita exstitisse apparet, quo nondum historiarum libri a reliquis Sallustii scriptis sejuncti circumferebantur. nam ante illud tempus codicem archetypum confectum esse inde potissimum sequitur, quod orationes et epistolae ex illis quoque excerptae in Vo adhuc supersunt. jam vero constat ineunte sec. V. libros historiarum prorsus integros etiam exstitisse, cum Sulpicius Severus, Sallustii imitator, eis usus sit (cfr. Pratjius de Luc. Septimio et Sulpicio Severo Sall. imitat. diss. inaug. Gott. 1874. p. 41); sed eos jam inde a tertio sec. neglectos et rarius descriptos esse nihil impedit, quin credamus. itaque factum est, ut deinde prorsus interirent; libri autem de bello Jugurthino et de conjuratione Catilinae etiam postero tempore saepissime a librariis repetiti sunt atque unum quasi corpus effecerunt, quod solum postea notum erat. nisi igitur statuamus fortasse codicem aliquem vetustissimum, quo omnia Sallustii opera continebantur, etiam posteris seculis exstitisse, eoque, quicunque archetypum composuit, usum esse, id potius licet conjicere quarto vel quinto seculo, quo tempore notitia historiarum Sallustii nondum prorsus evanuit, orationes et epistolas ex historiarum libris una cum reliquis excerptas et in libro aliquo congestas esse, ex quo deinde in Vum transscriptae et ita nobis servatae sunt. ac probari si posset, quod etiam Dieckius proposuit (p. 48) fortasse ad usum eorum, qui posteris seculis artem rhetoricam Sallustii imitari studebant, olim archetypum accurate confectum esse, inde quoque de auctoritate Vi aliquid concludere liceat. porro ut naturam

rationemque Vi penitus intelligamus, id quoque repetendum est, videri illum orationis Sallustianae, qualem olim in archetypo exstitisse suspicamur, genuinam formam etiam magis retinuisse quam ceteri libri, quos quamquam et ipsi e libris seu libro satis vetusto derivandi sunt, tamen, cum saepius describerentur, corruptelarum sordibus magis oppleri potuisse apparet. denique id addendum est, si conditionem ipsorum codicum Vi et Pi comparamus, illum multo accuratius scriptum esse quam Pum. centum enim quattuor locis a Dieckio diligentissime congestis (p. 13 seqq.) menda, quae librarii negligentiae tribuenda sunt in Po inveniuntur, triginta autem tribus in partibus, quae etiam Vo servata sunt, neque alia ratio efficitur adnumeratis eis, quos Dieckius omisit aut subtractis, quos injuria addidit. sic lapsu calami in Vo scriptum invenitur Cat. 52. 15 „ad defendum" (in PC „ad defendendum") Jug. 31. 16 „profectione que" (in PC „profecto neque") Jug. 85. 28 „numerorum" (in PC „num eorum"); contra in Po Cat. 51. 38 „talia" pro „tela", 52. 3 „deseruisse" pro „disseruisse" et quae sunt alia ejusmodi, ut verba omissa sunt in Vo Jug. 14. 25 „per vos — populi Rom." Jug. 31. 11 „Quirites" Jug. 85. 41 „viri", contra in Po Jug. 20. 11 „etiam — familiarem" cet. —

His vero ita expositis me satis demonstrasse existimo per se quidem auctoritatem codicis Vi haud esse spernendam nec quidquam ab hac parte obstare, quin Weinholdi et Dieckii sententiae prorsus adstipulemur. quod quominus temere faciamus, ea tamen deliberatione prohibemur, etiam si concedamus, quae aliter in Vo quam in plerisque libris mscriptis leguntur, e codice aliquo vetustissimo et maxima fide descripta fuisse, minime tamen inde id continuo consequi re vera illa ubique etiam pro genuinis et incorruptis habenda esse. quid enim impedit, quin cum Jordano credamus jam archetypum illum, ex quo Vum fluxisse statuimus, multis modis interpolatum fuisse nec verba scriptoris tam integra exhibuisse quam librum illum mscriptum, ex quo plurimi codices Sallustiani originem duxerunt? ut igitur confidenter recteque judicare possimus, ipsi singuli loci, quibus codicem Vum cum omnibus aut plerisque aliis discrepare videmus, diligenter

et accurate examinandi sunt. qua in re quam maxime rationem habebimus primae manus codicis Parisini Sorbonici nr. 500 (Pus). Wirzius quidem (in commentatione de fide atque auctoritate P[1]) libro Parisino 1576 (P[1]) majorem fidem tribuit, itemque Gerlachius Basiliensi A. N. IV. 11. nec tamen etiam illi Pum spreverunt. codex Pus 500, quem Dietschius (in ed. maj. p. 3.) accuratius descripsit seculo IX vel X confectus vel antiquissimus ideoque, ut res sese habet, facile optimus omnium librorum mscriptorum est, quibus integra Sallustii scripta continentur. —

Jam primum annotandum est haud raro Vum, ubi cum reliquis non congruat, vestigia pristinae rationis scribendi unum retinuisse. sic Jug. 14. 11 scriptura Vi „non quit" vetustior est, quam quod reliqui praebent „nequit." praeterea autem addi potest litteram „u" pro „i", quod postea in usum veniebat, itemque „o" pro „u" antecedente littera „v" exstare adhuc in uno Vo. in orat. Lepid. 2 (optumis) Cat. 20. 7 (volgus) Cat. 51. 8 (novom). nec minus ille codex formas aliquas antiquiores genetivorum in singulo „i" exeuntium ut „aerari" (Cat. 52. 12 Jug. 31. 25) et „Fului" (Jug. 31. 7) itemque ablativos „supplicis" (Cat. 52. 29) „beneficis" (Jug. 14. 14) „convivis" (Jug. 85. 41) solus servavit. denique etiam huc referendae sunt formae „quoius" (Jug. 14. 21) „thensauri" (Jug. 10. 4), fortasse etiam „accersunt" (sic etiam p. i. m.) pro „arcessunt", quod Cat. 52. 23 in PC legitur. namque num recte sese habent forma, etiam postquam Kritzius (ad Cat. 40. 6) copiosius de hac re disseruit, dubitari quidem licet. — sed haec leviora videantur; majoris vero momenti est, quod etiamsi sensum sententiarumque nexum respicimus Vus haud paucis locis ea sive solus sive cum aliis libris mscriptis exhibet, quae Po praeferenda sunt. sic jam Weinholdus et Dieckius Cat. 52. 18 pro eo, quod in omnibus reliquis codicibus legitur „attentius" scripturam Vi „intentius", quam etiam corrector Pi praetulit, recte comprobaverunt. duobus quidem locis (Cat. 53. 3. Jug. 88. 2) Sallustius verbo adtendendi, nusquam tamen participio, nisi Po fidem habemus, usus est. contra intendendi verbi participium saepissime admisit, ut exemplis a Dietschio (in ind. p. 248) diligentissime

congestis satis apparet. praeterea autem jam Woelfflinus bene monuit melius inter se opposita esse comparativa „intentius“ et „infirmior“. — deinde etiam Jug. 14. 12 Weinholdus quod in Vo legitur „multum laboris“ ita defendit, ut dubitari vix possit, quin illo quoque loco „multum laborem“, quae est scriptura ceterorum librorum, rejicienda sit. — nec minus praestat Vus aliis locis Po, quibus vestigia genuinae scripturae etiam in codicibus ceteroquin cum Po non comparandis hic illic casu aliquo servata sunt, nec tamen per se satis aestimarentur, videlicet cum librorum illorum auctoritati, nisi aliunde confirmetur, minime fides habenda sit. sic Cat. 20. 2 apparet Pi scripturam „expectata“ ferri non posse. itaque VC auctoritatem secuti editores omnes „spectata“ in verba receperunt. ceterum caussa corruptelae non error librarii fuisse videtur. — etiam „ipsi“, quod Cat. 20. 6 in Vo p. i. m. P^1 exstat, non solum praeferendum, immo illo loco unice verum esse facile intelligitur. nullo enim modo, si usum dicendi in hac re satis constantem spectamus „ipsos“, quod Pus cum omnibus fere reliquis praebet, licet Kvičala (in diurn. gymn. Austr. tom. 14 p. 604) repugnet, probari potest (cfr. Weinholdus p. 197 Dieckius p. 28 Pratjius p. 43). — deinde Cat. 20. 13 cum Dieckio Vi scriptura „habemus“ praeferenda est Pi „habeamus“, cum haec a sensu abhorreat. Dieckii judicio etiam assentitur, qui in ind. philol. supplem. I. p. 696 illius commentationem satis acerbe recensuit hoc loco Pi. mendum lapsu calami ortem natus. — Cat. 51. 5 Weinholdus, quocum Dieckius suo judicio congruit, Vi particulam „et“ Pi „atque“ jure praetulit. nam quamquam a Sallustio in duobus membris aut eadem conjunctio repetitur aut etiam alia adhibetur (cfr. Jug. 14. 19. 43. 1 et 35. 5. 36. 2 al.) hic tamen scriptorem orationem variasse putabimus, cum Vi auctoritatem etiam P^1 et P^2 augeant, quorum primus quidem Po haud multum postponendus est, a Wirzio certe anteponatur. — minime vero Weinholdus etiam Jug. 14. 11 loco huic simillimo dubitari debebat, cuinam codici major auctoritas tribuenda sit. nostra quidém sententia Dieckius illo quoque loco „et“, quae est Vi scriptura Pi „atque“ recte praetulit. — bene etiam Cat. 51. 15 Weinholdus (p. 202) et Dieckius (p.

23) scripturam VC „severior“ pro eo quod in PC legitur „sevior“ argumentis jam ab Herzogio allatis defenderunt. Jordanus in editione „saevior“ probavit. — item Cat. 52. 11. Vi lectionem „sita“ pro Pi „posita“ (coll. Jug. 23. 2) et „ab“ pro Pi „a“ (coll. Jug. 93. 2. 101. 8) Jug. 14. 10, quas Weinholdus omisit, Dieckius (p. 33 et 24) jure tuitus est. — at Jug. 24. 3 Weinholdus (p. 193) Vi scripturam „incertum est“ pro Pi „incertus sum“ Jordani argumentationem convincens et scriptoris consuetudinem secutus satis probavit, ut Dieckius hoc loco temere de auctoritate Vi dubitavisse appareat, etiamsi imitatorum locis a Pratjio (p. 46) allatis haud multum tribuas. — Jug. 85. 24 qui Dieckii dissertationem (in ind. phil. ll. p. 696) recensuit, Pi scripturam „patior“ errore librarii ortum esse ideoque auctoritatem illius codicis hoc loco non debilitari statuit. quod judicium num recte se habeat, dubitari quidem licet, cum in plerisque ejusdem generis libris mscriptis idem error reperiatur. id certe tenebimus hoc quoque loco Vum fere solum genuinam lectionem servasse atque Po praestare. — transeundum est ad Jug. 85. 30, ubi ne Jordanus quidem ceterum acerrimus Pi defensor lectionem „parum id facio“ Vi „parvi id facio“ anteponere dubitavit. ac satis constat, postquam Madvigius (ad Cic. de fin. p. 781) de hoc loco disputavit „parum“ adverbium non genetivi pretii vicem tenere posse, quapropter Vi scriptura probanda est. quemadmodum vero corruptela PC hic orta sit, intelligitur, modo „parui id“ aliquando in codice archetypo scriptum fuisse statuamus. Vi auctoritas aliquid confirmatur etiam testimonio Nonii, qui (p. 197) Sallustii verba, ut Vo tradita sunt, laudat. ceterum jam in ipso Po signo Δ addito supra lineam „parvi“ legitur. — restant duo loci, quibus consuetudine dicendi Sallustiana Vi scriptura paene postulatur, Pi improbatur. nam Jug. 85. 33 in PC „praesidia agitare“ in V „praesidium“ invenitur, Jug. 85. 35 in PC „mollitiem“, in VC „mollitiam“. de priore loco accuratius disputavit praeter Weinholdum (p. 218) et Dieckium (p. 32) etiam Pratjius (p. 48). ad sententiam affirmandam id unum jam sufficere puto, quod etiam alio loco (Jug. 55. 4) Sallustius singularem numerum usurpavit, praeterea autem a Romanis vel ubique

„praesidium ag.“ non „praesidia ag.“ dictum est. quem ad modum vero scriptura Pi oriri potuerit, jam Dieckius et post eum homo doctus (in ind. phil. suppl. 1. 696) exposuerunt. nimirum scriptum fuisse videtur in Pi archetypo „praesidiū“, quae littera postrema facile cum littera „a“ aperta, quam vocant, mutari poterat atque etiam aliis locis mutata est, ut Cat. 51. 8. 52. 11. 58. 4 („ingenium“ pro „— a“, „vocabulum“ — „a“, „ingenium“ „— a“) in eodem Po legitur (cfr. Dieckius p. 23). — altero loco scriptura Vi „mollitiam“ haud minus probari potest coll. Cat. 52. 28. Jug. 70. 5. hist. 1. 48. 3, ubi forma in „a“ finiens omnium codicum consensu confirmatur. — denique non omittendum est Pum tribus locis glossematis aperte interpolatum esse, ubi Vus integra verba scriptoris servavit. duobus quidem locis jam ille, qui codicem e libro Vo simillimo correxit uncinis verba spuria inclusit ac praeterea verbis „haec est glosa“ additis de loci conditione legentium animos monuit. sunt hi. Cat. 20. 5 (Pus: quae mente [frequenter mente uersavi] haec glosa est s. s. p.) et Jug. 31. 19 (Pus: contempnit [profecto] scilicet glosa est s. s. p.). tertium locum sagaciter indagavit Dieckius Jug. 85. 41, quem Weinholdus in numerum eorum retulit, ubi Vus falsa exhibeat, nec tamen argumenta addidit. in Po haec leguntur: „sudorem, pulverem et alia talia“. quibus in verbis ut omittam particulam „et“ praeter consuetudinem Romanorum tertio loco positam etiam ideo offendendum est, quia ut Dietschius (comm. cap. 4. p. 87) recte annotavit, Sallustius nunquam nisi uno non pluribus praecedentibus „et alia“ scripsisse putandus est. (cfr. Cat. 10. 4. 13. 2. 32. 2 al. locis.) jam quum in codice satis vetusto alterum verborum eorum, quibus mendum inesse apparet, non inveniatur, quid verisimilius esse potest, quam illud glossema esse? additum autem videtur, ut exemplo demonstraretur, qualia verbis „et alia“ significata sint. voces „sudorem“ et „pulverem“ aliis quoque locis conjunctas reperiri exemplis a Cortio congestis (Hor. od. 2. 1. 21. Plin. ep. 9. 2 paneggr. 13) edocemur. — ceteri loci, quos et Weinholdus et Dieckius ad sententiam de Vi auctoritate magis confirmandam afferunt, aut aliter dijudicandi sunt aut quae illorum conditio est nihil ad demonstrandum valent.

Weinholdus praecipue ex apertis librariorum erroribus argumenta petere solet, ut loco negligentia corrupto Cat. 51. 40, ubi in PC „circumvenire" scriptum exstat, in Vo autem „circumveniri", Gerlachium Basiliensis sui defensorem impugnans Vi auctoritatem admodum augeri statuit, quamquam in locis eligendis summa se cautione usum esse diserte (p. 223) contendit. similiter Dieckius et Wirzius (in ind. phil. 5. 362) loco Jug. 102. 8 auctoritatem Vi fulcire non debebant. illud enim „accepisses", quod in Po pro Vi „cepisses" legitur, dittographia, cum „bona" praecedat, „cepisses" sequatur, ortum esse nemo est quin videat.

Sed quamquam concedendum est locis illis, quos supra enumeravimus, quae aliter in Vo quam in Po leguntur, praeferenda videri, minime tamen id negligendum est complures reperiri, quibus codicem illum deteriora servasse facile intelligitur. primus autem eorum, quibus caussa corruptelarum longius repetenda est, invenitur Cat. 33. 1, ubi in PC „patriae", in VC „patria" legitur. Weinholdus et Dieckius Vum secuti sunt; Jordanus atque ante ejus tempora Kritzius genitivum retinuerunt. jam duplicem vocabuli „expers" in eodem enuntiato structuram a Sallustio non alienam esse Cortius coll. locis Cat. 25. 2 Jug. 84. 2 docuit. quid vero verisimilius esse possit, quam ut constructio fortasse paullum inusitatior atque a Vi librario parum cognita, quo major orationis concinnitas efficeretur, ita mutata sit, quemadmodum in VC invenimus? — tum Cat. 35. 6 in omnibus codicibus praeter Vum „nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado" legitur quibus in verbis ad vocem „commendo" supplendum esse ex eis, quae sequuntur „tuae fidei" manifestum est. offendit tamen in verbo nude atque, ut illi videbatur, absolute posito, quicunque Vi archetypum scripsit, itaque vocem „tibi" addidit, quo levius oratio procederet. sed minime illo addidamento opus esse ac scripturam reliquorum codicum, in quibus illud „tibi" omissum videmus, sinceriorem esse etiam aliis exemplis probatur, quibus id genus loquendi, quo hoc quoque loco Sallustium usum putamus, ut apud omnes scriptores Romanos, ita etiam apud nostrum satis usitatum fuisse apparet. similiter legitur Cat. 36. 5 „neque praemio inductus conjurationem

patefecerat neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat", Jug. 14. 1 „vos mihi cognatorum, vos in adfinium locum ducerem", ib. 63. 3 „sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus". alia ejusmodi praeterea collegerunt Dietschius (annot. ad Cat. 30. 6) et Jacobsius (ad Jug. 43. 3.). — deinde Cat. 51. 4 in Vo haec scripta sunt: „magna mihi copia est memorandi, patres conscripti, quae reges atque populi — male consuluerunt; sed ea malo dicere, quae — fecere". quae verba si legimus per se quidem nihil offensionis praebent. nihilominus tamen ea corrupta esse vix negari potest, modo cum eis, quae in reliquis codicibus tradita sunt, illa comparemus. legitur autem in Po „qui — consuluerint", ceteri bonae notae libri aut „qui" aut „quae" exhibent, in omnibus vero „consuluerint" scriptum exstat. Vum e numero editorum unus, quatenus scio, Dietschius (in ed. a. 1845. 1859. 1868 evulg.) ita secutus est, ut Vi „quae" in ordinem verborum reciperet, „consuluerint" autem reliquorum auctoritate confisus retineret. contra Herzogius, Kritzius, Jordanus, Jacobsius, homo doctus in supp. ind. phil. 1. p. 696 Pi scripturam plane comprobaverunt. rectissime vero jam Eussnerus (p. 172) hic quoque exemplum inveniri statuit, quo appareat in Vo haud raro genuinam scripturam temere mutatum esse, quo concinnitas orationis major fieret. minime tamen illam a Sallustio ipso ubique adhibitam esse aut petitam haud paucis exemplis edocemur, quae A. Laws (de dicendi genere Sallust. comm. p. 18) collegit. statuit homo ille doctus Sallustium ideo vel maxime orationem variasse, cum velocitate illa cogitandi et narrandi, quam Quintilianus (10. 1) immortalem fuisse dicit, praeditus fuerit. itaque saepissime apud illum scriptorem artificiosae verborum comprehensionis et ambitus condendi rationem non habitam esse videmus, nec minus hoc loco elegantior illa et exquisitior scriptura codicis Vi a Sallustii consuetudine aliena est. nihil enim tribuendum esse auctoritati Arusiani Messii, qui eandem palam tuetur, etiam is, qui fidem codicis Vi hoc quoque loco confirmari posse censuit, Weinholdus perspexisse videtur, cum ne afferat quidem grammatici illius testimonium. ceterum quod attinet ad sententiam nihil omnino interesse, utrum Pi

an Vi scripturam praeferamus, vix est quod moneam. apparet igitur ne ab hac quidem parte Weinholdi et Dieckii sententiae quidquam praesidii paratum esse. — sed ad alium locum transeamus, quo ibidem, quod in Vo exstat, improbandum esse, quamvis Weinholdus contrariam sententiam defendat cum maxime perspicuum est. invenitur ille in ejusdem capitis §. 25, ubi Po „neglegeris", Vo aliisque „neglexeris" traditum est. qua in varietate lectionis Weinholdus formam „neglexeris" praetulit Herzogii, ut videtur, auctoritatem secutus; ceteri enim editores omnes, quoad libros eorum inspicere mihi licuit, Pi scripturam retinuerunt. ac recte quidem. nam quod Weinholdus dicit propter Jug. 40. 1, ubi in Po ceterisque bonis praeter P^3 B libris „neglexisset" invenitur, hic quoque formam „neglexeris" restituendam esse, nihil valet ad demonstrandum. aliter res tractanda est. constat in Sallustii scriptis saepius formas antiquiores verborum a librariis, cum in illis offenderent, mutatas ac suae aetatis dicendi consuetudini accommodatas esse. ubi igitur in codicibus vestigia pristinae verborum formandorum rationem invenies, ut res sese habet, satis verisimile est ibi genuinam scripturam servatam esse. jam si quaerimus, utrum „neglegeris" an „neglexeris" antiquior forma sit, postquam Lachmannus (ad Lucret. 6. 17 p. 350) de hac re disseruit, dubitari non potest, quin illud prius usitatum fuerit, deinde autem „neglexerit" in usum venerit. docuit enim ille homo doctissimus L. Macrum in XVI. annalium „omnium nostrum neglegerit auctoritatem" dixisse, Lucretium autem saepius forma perfecti „intellegi" usum esse, quorum utrumque paullo ante Sallustii aetatem fuisse notum est. postero vero tempore perfecta „neglexi", „collexi", alia ejusmodi consuetudine sermonis cotidiani adhibita sunt. patet igitur, si certam rationem in arte critica factitanda sequi volumus, cum duobus locis etiamsi in singulis codicibus formae „neglegeris" et „neglegisset" adhuc reperiantur, illas pro veris et genuinis habendas esse. neque enim a librariis rariora in scriptorum verba inlata esse, neque item Sallustium alternas formas usurpasse verisimile videri jam Cortius (ad Jug. 40. 1) bene docuit, qui etiam Ciceronem formis perfecti „neglegisse" et „neglegistis" usum

esse demonstravit. ceterum similiter atque hoc loco etiam in or. Lep. 23 „intellegerit“ invenitur, quod Cat. 20. 3 Jug. 93. 3. or. Macri 9 in „intellexerint“ a librariis foede corruptum est. — quod Dieckius de loco Cat. 52. 7 statuit scripturam „questus sum“ praeferendam esse alteri „conquestus sum“ recte sese habet, quum re vera Sallustius ubique verbum simplex „queri“ usurpet. errat autem, quod verum hoc loco in Vo inveniri dixit, cum Wirzii (ind. phil. 5. p. 363) testimonio constet in Vo „conquestus sum“ reperiri. — deinde Jug. 14. 1 quod in PC legitur „vos mihi cognatorum, vos in adfinium locum ducerem“ quo jure a plerisque editoribus praeter Gerlachium nec minus a Weinholdo et Dieckio repudiatum sit, equidem non intelligo. quis enim sibi persuadeat verba „affininium loco“, quae in Vo exstant sic a librariis depravata esse, ut Kritzius quidem proposuit? statuit autem ille homo doctus in nudo ablativo „loco“ quum librarii offendissent, alios „in“ addidisse, alios hoc ipsum non satis ex usu dictum esse animadvertentes accusativum posuisse. nonne verisimilius videtur librarios, quum „in adfinium locum“, scripturam insolitam quidem nec tamen prorsus inusitatam, minus cognitam haberent, „adfinium loco“, quod vulgari dicendi consuetudini magis conveniat, in verba Sallustii injuria inseruisse? duobus certe exemplis jam a Gerlachio allatis scriptura codicum PC probatur. legitur enim apud Ciceronem (in Verr. 5. 28. 73) „in eorum locum — — cives Romani hostilem in modum cruciati et necati“ et apud Justinum (12. 12) „jussus praeesse Macedonibus in Antipatri locum“. — Jug. 24. 9 Dieckius Vi scripturam „scripsi“ Pi et reliquorum omnium „scribo“ injuria praetulit, Weinholdus autem et Wirzius (p. 363) certum judicium de loco proponere dubitaverunt. sed quamquam concedendum est, si usum tantum loquendi spectamus, utriusque codicis lectionem ferri posse, hoc loco tamen certis caussis quod PC traditum est, praestare putamus. res autem ita se habet. Romanos more suo in epistolis saepius perfecto ibi usos esse, ubi nos potius praesens tempus adhibitum exspectemus, omnes consentiunt. nec tamen sine ullo discrimine tempora inter se mutabantur. rectissime jam Madvigius (gr. §. 345) et

Zumptius (gr. §. 503) monuerunt praeteritum tempus modo usurpari, ubi is, qui epistolam mittat, dum scribit, tempus respiciat, quo epistola ab altero perlegatur. aliquantum igitur interesse inter haec Ciceronis verba (ad Quint. fr. 3. 1. 3) „quo die haec scripsi — Drusus erat absolutus; ego eodem die — Vatinium eram defensurus“ atque ex altera parte (ad fam. 9. 17. 3) „sed longius progredior; scribo enim ad te“ quivis facile intelligit. quodsi quaerimus, utrum „scribo“ an „scripsi“ hoc loco praeferendum videatur, dubitari non potest, quin scriptura Pi in ordinem verborum recipienda sit. patet enim Adherbalem distinguere inter epistolam querelarum plenam, quam tunc ex Africa misit atque eos querimonias, quas ipse prioribus temporibus apud senatum de Jugurthae vi injuriisque habuerat. hoc autem minus perspicuum fiat, si recte sese haberet perfectum „scripsi“. at magis probanda est lectio PC, quam si tanquam veram retinemus, ipsa verborum forma satis indicatur de diversis temporibus cogitari. illa vero distinctio, quam verbis inesse particula „antea“ aperte significatur, etiam magis cognoscatur, si particula „nunc“, quam cogitando ad vocem „scribo“ facile addere possumus, in verbis ipsis exstaret, quamquam etiam sic particula carere possumus, cum „haec“ praecedat, quod quomodo dictum sit, neminem fugiet. ceterum in re dijudicanda, negligendum non est, quod Dietschius (in ed. a. 1847 evulg.) ad hunc locum bene exposuit, hanc epistolam in reliquis orationi prorsus parem esse. tum id quoque a nobis est, quod ubique in tota epistola perfectum ita adhibitum invenimus ut e consuetudine sermonis epistolici cum praesenti commutari possit. denique jam Jordanus (in Herm. 1. 238) recte demonstravit testimonium Servii (ad Aen. 1. 392), quo eodem praesens comprobatur, hoc loco eo pluris aestimandum esse, quoniam non de collocatione verborum hoc loco agitur, quam saepe a grammaticis et commentatoribus mutatam esse scimus, sed de verbis ipsis. quae ubi cum optimis codicibus congruunt, depravationis suspicionem non praebent. — recte etiam Jug. 31. 2 Weinholdus et Dieckius Pi scripturam „inulti“ pro „Vi „inviti“ comprobaverunt. — magis vero disputatum est de Jug. 31. 10, quo loco Weinholdus et Wir-

zius (ll. p. 362) unius Vi lectionem „honores non praedas", Dieckius Pi „honori non praedae" defendere studuerunt. ac primum quidem patet multo facilius fieri potuisse, ut librarii verba „honori et praedae" in „honores et praedas" corrumperent, quam ut scripturam satis perspicuam et usitatam, qualem genuinam in Vo exstare Weinholdus arbitratur, cum difficiliore et minus vulgari commutarent. sed etiam aliam ob caussam plurimos editores ut Herzogium, Kritzium, Jordanum, Jacobsium, ex parte etiam Dietschium scripturam codicis Pi. recte praetulisse putamus. nullo enim modo cum eis, quae antecedunt quaeque sequuntur, ea conjungi possunt, quae Memmium dicere voluisse Weinholdus statuit, ut Vi „honores" defenderet: incedere nobiles per ora populi magnificos, sacerdotia et consulatus, partem triumphos suos ostentantes proinde quasi ea adepti sint, cum populus, ut se honoraret atque pro meritis ornaret, imperia sibi mandaverit, neque ipsi per fas ac nefas haec omnia arripuerint. minime vero Memmius id optimatibus opprobrio vertit, quod vi et ambitu summos honores petant, cum vero eo pervenerint, illis tanquam bene meritis vani glorientur, sed id potius oratione vituperat, quod quamquam in magistratibus et imperiis gerendis aerarium expilent, vectigalia regum populorumque accipere studeant, tamen ipsos honores ostendant proinde ac si ita illis usi sint, ut gloriam tantum et honorem inde ceperint. dativi cum verbo habendi conjuncti eam vim esse, ut significet eum, cui aliquid inserviat aut ad quem aliquid pertineat, Zumptius (gr. §. 422) et Madvigius (gr. §. 243) in universum satis docuerunt. praeterea autem exempla aliquot inveniuntur, quibus etiam Sallustium dativo eodem modo usum esse confirmatur, ut Cat. 12. 1 (paupertas probro haberi) Jug. 34. 2 (populus ludibrio habitus) Jug. 100. 5 (duritiam voluptati habuisse.). — postquam Kritzius ad Jug. 31. 17 et Dietschius (in ed. a. 1847 ibidem) de discrimine, quod intercedat inter „omittere" et „amittere" diligentissime et luculentissime disseruerunt, valde miror, quod Weinholdus et Wirzius (p. 362) Jug. 31. 25 scripturam Vi „qua re moneo hortorque vos, ne tantum scelus impunitum amittatis" defendere conati sint. jam Dietschius quidem antea (in ed. a. 1859. comm. cap. 4. p. 150)

eandem sententiam protulerat, deinde autem re puto accuratius examinata scripturam codicum PC denuo in orationem quamquam dubitanter restituerat (in ed. a. 1868. praef. p. 9.). neque dubitari potest, quin rectissime ille fecerit, modo consideremus verbum amittendi ita differre a verbo omittendi, ut illud significet privari aliqua re aut necessitate quadam aut nostra negligentia, hoc vero de iis rebus dici, quas quis consulto non attingat aut non amplius tractet. contra quam verborum definitionem afferre non debuit Weinholdus Jug. 66. 1, ubi haec leguntur: (Jugurtha) „arma tela aliaque, quae spe pacis amiserat, reficere aut commercari". apparet enim illo quoque loco „amittere" eadem vi a Sallustio adhibitum esse, quam alibi verbo inesse satis constat. namque non consilio sed potius negligentia, cum vana spe captus esset, Jugurtha illo tempore, de quo Sallustius narrat, res militares parum curavit. praeterea autem ne loco quidem Terentii (Eun. 852), quem Dietschius olim afferebat, quidquam probatur. itaque si quidem recte Memmium locutum esse statuimus, hic quoque codicum PC scriptura Vi longe praeferenda est. — Jug. 31. 26 Dieckii judicio de praestantia Pi „vindicatum" pro Vi „vindicantur" atque item Jug. 85. 5 „bene facta rei publicae" pro Vi „beneficia r. p." exhibentis consensu Wirzii, qui (p. 362) Schultzium de archaismis Sall. p. 72 laudat et hominis docti (p. 698) prorsus astipulandum est. — itaque jam transeamus ad Jug. 85. 10, ubi Weinholdus et Dieckius parum intellexerunt, quid de scriptura codicum Pi et Vi judicandum sit. retulit enim ille etiam hunc locum inter eos, quos ita utroque codice traditos esse statuit, ut quaenam scriptura praestare videatur, dubitari certe possit, Dieckius autem glossema in Po inesse censuit. attamen si accuratius, quae in codicibus Po et Vo leguntur, examinamus, facili negotio cognoscimus in libris PC genuinam scripturam servatam esse, in Vo autem lacunam exstare. verba ipsa, de quibus agitur, ita in Po scripta sunt: „hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum et nullius stipendii", in aliquot libris mscriptis satis bonae notae ut P^2 P^3 B „aut" legitur pro „ac", quod in Vo prorsus omissum est. denique apud Priscianum haec verba bis inveniuntur,

ita tamen, ut scriptura paullum differat. primo loco (Prisc. ed. M. Hertz. 2. 221) legitur „homines v. prosap. mult. imag. ac nullius stipendii“, altero (p. 360) „hom. mult. imag. ac nullius stipendii“. patet autem Prisciani testimonio ideo minus fidem habendam esse, cum duobus illis locis ne sibi ipsi quidem constet. praeterea etiam hoc exemplo satis demonstratur, quid in universum de grammaticorum testimoniis judicandum sit, qua de re infra accuratius disseremus. sed ut ad rem redeamus, Vi scriptura vix toleranda videtur, cum ego quidem locum non noverim, quo tria membra orationis ita conjuncta sint, quemadmodum Vo traditum est. probabile igitur videtur hoc loco scripturam Pi praeferendam esse, praesertim cum illa etiam e parte quidem eis libris confirmetur, in quibus „aut“ legitur, quod ex „ac“ corruptum esse, cum intelligi nequeat, nemo negabit. ceterum ne id quidem, quantum conjectura assequor, veridissimilius videtur quod adhuc in Vo omissum est „ac“ olim in archetypo exstitisse, deinde autem errore librariorum excidisse. quod quomodo fieri potuerit, facilius perspicitur, si consideramus, quod aliunde (p. 3) conclusimus, librum illum, cujus exemplar Vus est, litteris majusculis scriptum fuisse. cum igitur in archetypo haec legerentur: PROSAPIAEACMUL — oculos librarii deerrasse putamus a literis — AE — ad literas — MUL — ita, ut — AC — omitteretur. — Jug. 85. 14 Dieckius Vi scripturam „objiciuntur“ fortasse vetustiorem et veriorem esse judicavit, quam Pi „objectantur“. ut omittam, quae ille parum verisimiliter de origine alterius lectionis proposuit, certe erravit, quod usum Sallustianum exemplis a Dietschio in indice (p. 290) collatis satis perspicuum negligens verbum objiciendi hoc loco ferri posse existimavit. neque ei assensi sunt Wirzius respectu habito Schultzii (p. 64. 74) et homo doctus in ind. phil. suppl. 1. p. 697. — venimus ad locum variis corruptelis in Vo contaminatum Jug. 85. 16. scilicet ibi in omnibus praeter Vum libris mscriptis haec leguntur: „ac si jam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi sese liberos quam optimos voluisse“, in Vo autem „matre“ „possit“ „maluisse“. in his verbis „matre“ a grammatico aliquo

ex arbitrio in orationem insertum esse, cum quid sibi velit illud „ex se gigni“ non satis intelligeret, Jordanus quidem judicavit (in Herm. 1. 237), Weinholdus vero calami errore illud ortum esse putavit (p. 173). sed neutram sententiam satis probabilem esse quivis concedet. mihi inde potius mendum illud repetendum videtur, quod cum in archetypo Vi ad verbum „patribus“ inter lineas aut in margine „matre“ ascriptum legeretur, hoc a librario in locum genuinae scripturae errore recipiebatur. sed quidquid de origine corruptelae statuendum est, id quidem quam maxime patet illud „matre“ hic ferri non posse. deinde autem ne „possit“ quidem, quod in Vo exstat, verum esse, quamquam Weinholdus illud tanquam meliorem scripturam commendavit, Jordanus recte monuisse videtur. suspicabatur homo sagacissimus „posset“, quod reliqui codices praeter Vum omnes praebent, in „possit“, ideo mutatum esse, quo magis tempora inter se congruerent. haud adeo vero in eo offendendum esse, quod, si retinemus scripturam „posset“, conjunctivum imperfecti sequitur conjunctivus perfecti uno certe loco probatur Cat. 7. 7 („memorare possem, quibus in locis populus Rom. — fuderit — ceperit“). ceterum constat in enuntiatis conditionalibus conjunctivum imperfecti ibi usurpari, ubi is, qui verba facit, significare studet non esse aut fieri non posse, quae tanquam vera finxit. itaque Marium, quem hoc loco contionantem Sallustius facit, praeteriti temporis conjunctivo propterea usum fuisse putabimus, ut simul indicaret cupere se quidem de liberis aliquid ex Albini et Bestiae patribus quaerere, nec tamen hoc sibi licere. jam vero patet, etiamsi sententiam spectamus, caussam non esse, cur scripturam codicis Pi omniumque reliquorum praeter Vum improbemus; immo potius ob id ipsum praeferenda videtur, quod utpote quae primo obtutu offensione non vacet, eo facilius a librariis depravari poterat. denique verbum „maluisse“, quod intelligi utique nequit, errore aliquo e verbo „voluisse“ ortum esse satis erit tantum significasse. — postremo de scriptura Pi Jug. 85. 46 „sciens sed“ Vi „sciens et“ anteponenda Weinholdo et Dieckio assentior. —

His locis ita perlustratis ad eos transeamus, quibus

collocatio verborum in utroque codice differt quidque de conditione singulorum statuendum videatur, si fieri potest, exquiramus. neque enim ubique certum judicium proponere licet. sunt autem illi loci, quos Dieckius sub unum conspectum (p. 38. 39) collegit, viginti septem. quorum e numero hi Vo recte traditi videntur. Cat. 35. 1 in Po series verborum „magnis in meis periculis" invenitur, in Vo autem „in magnis meis p." jam Sallustius nusquam fere, ut Weinholdus (p. 199) demonstravit, praepositiones inter adjectiva et substantiva ex illis pendentia interposuit. locis autem Cat. 37. 11 Jug. 9. 4. 42. 4, praeterea Cat. 37. 2 histor. 2. 82. 3. 73 aut certa caussa excogitari potest, cur scriptor consuetudinem neglexerit, aut corruptela haud dubie statuenda est, id quod in hunc quoque locum cadit, cum altera caussa mutati ordinis non appareat. — similiter altero loco Jug. 10. 1 Weinholdus et Dieckius Vi collocationem „ego te, Jugurtha" plane comprobaverunt, quorum argumentis ego non habeo, quod addam. — contra in Po collocatio verborum his locis praestare videtur. Cat. 33. 1 Dieckius quidem Vum praetulit, qui „nostrum cuiquam" exhibet. statuit enim pronomini „nostrum" priore loco posito majorem vim inesse atque inesse oportere. at non novit Weinholdum antea, ut Pi ordinem „cuiquam nostrum" comprobaret, locos attulisse Cat. 36. 5. 51. 2 Jug. 102. 8. 74. 1. Cat. 51. 14, quibus omnibus Vi collocationem a scriptoris consuetudine abhorrere edocemur. assentitur etiam Wirzius. (p. 363.). — Cat. 51. 35 Weinholdus Wirzii consensu (p. 363) Vum ordinem verborum „atque ego haec" recte servasse praejudicata opinione ductus judicavit. sed unice veram esse eam collocationem verborum, quae in PC exstat, cum jam antea omnes editores censuissent, Jordanus tandem certis argumentis allatis probavit. docuit enim Sallustium pronomen personale primae enuntiationis voci subjungere solere ita, ut etiam hoc loco dubitari nequeat, utra scriptura praeferenda videatur. contra Weinholdus aliam sententiam amplexus est. nam recognitis locis, quibus illa, de qua agitur collocatio verborum invenitur, intellexisse sibi visus est aliquid interesse inter ea exempla, in quibus nominativus pronominis reperiatur atque illa, in quibus casus

obliquus exstet; praeterea autem summum momentum in eo positum esse, quam sententiam ac vim singulis locis pronomen habeat. quod subtiliter et acute expositum esse quamquam libenter concedimus, minime tamen inde id sequi putamus, quod Weinholdus efficere studuit; contendit enim ille, cum vis et gravitas pronominis minuatur, si inter primam et alteram enuntiationis vocem inseratur neque aliam illud tum vim habeat, quam graeci sermonis encliticae, hoc loco scripturam codicum PC non ferendam esse. at cum summum momentum positum sit in voce „haec", quae secundo loco omni vi privetur, pronomen autem personale nullius fere ponderis sit, apparet, si recte se habent, quae modo de collocatione pronominis exposita sunt, hoc loco Pi testimonio, quod Dieckius quoque probavit, „atque ego haec" legendum esse. — huic loco simillimus est Cat. 52. 2, ubi eadem ratione scripturam Vi „longe alia mihi mens est" rejiciemus. nam facile intelligitur Catonem in oratione vix id declarare voluisse se potissimum cum Caesaris verbis dissentire, sed magis id praedicare se aliter quam, qui antea locutus sit, de re proposita cogitare. quod si perpendimus patet haut ita vocem „mihi", quam alteram „alia" cum gravitate ab oratore pronuntiandam fuisse itaque consilio „mihi" testimonio codicum PC eo loco positum esse, ubi minus aures audientium offendere posset. nescio autem, quomodo Weinholdus, quem Wirzius (p. 363) secutus est, cum bene ad Cat. 51. 35 vim collocationis pronominum exposuerit, tamen secum ipse pugnans eum ordinem verborum retinendum esse censuerit, quem uno codice Vo traditum videmus. — de ceteris locis fere omnibus ita disputari potest, ut certi aliquid statuere satis dubium sit. nihilominus tamen Weinholdus etiam talibus locis ad Vi auctoritatem comprobandam usus est. sic Cat. 37. 33 collocationem verborum, qualis in PC invenitur, „magnae initium cladis" omnes editores retinuerunt, Weinholdus autem illam praetulit, qualis in Vo exstat „initium magnae cladis". contendit autem nullum locum reperiri, quo Sallustius sic, ut in PC scriptum sit, verba collocaverit ejusque dicendi generi solum aptam esse Vi scripturam. sed quamvis imperiose ille haec edixerit, nobis tamen vix unquam persuadebit Vi scri-

turam meliorem esse. nam etsi constat Sallustium in universum Ciceronis aliorumque scriptorum consuetudinem non adamasse, qua substantiva inter adjectivum et alterum substantivum e priore pendens inserere solent, caussa tamen nulla existit, cur Sallustium ne hoc quidem loco illam verborum collocationem admisisse arbitremur, praesertim cum ne verum quidem sit, quod Weinholdus annotavit, alio loco hauc verborum collocationem non reperiri. unum certe exemplum indagavi, quod cum hoc comparari potest: Cat. 36. 5, ubi in omnibus codicibus legitur „duobus senati decretis". — eodem modo ad ipsius arbitrium judicavit Weinholdus de collocatione verborum Cat. 58. 11 „pugnare pro potentia paucorum", quam prout in Vo reperiatur, veriorem esse dixit, quam reliquorum librorum „pro pot. pauc. pugnare". sed nihil valet dicere scripturam aliquam pulchriorem esse, aliam vero quamvis ceterum bene traditam pro deteriore habendam esse. namque si ita rem instituimus, omnia ubique ponere ac tanquam vera praedicare licebit. — Jug. 14. 11 veram collocationem verborum „ubivis tutius quam in meo regno" in PC exstare Weinholdus negavit Woelfflinum testatus, qui comparatis inter se sexaginta fere locis eam legem Sallustium sibi imposuisse reperit, ut „meum, tuum, suum" pronomina ibi tantum substantivis praemittantur, ubi aut vis et pondus in pronomine posita sint, aut substantiva praeter pronomina etiam cum adjectivis conjuncta inveniantur. apparet vero, si hauc consuetudinem dicendi Sallustianam respicimus, quam bene, ne dicam melius, sese habeat scriptura PC. nam verba „ubivis" et „in meo regno" inter se opposita esse itaque cum momentum in pronomine insit, illud scriptorem praemisisse nemo non videt. — Jug. 31. 28 bene quidem Weinholdus verba „beneficii memorem esse quam maleficii", quae Jordanus a grammatico licenter transposita esse judicaverat, ab hac suspicione defendit. neque enim ordinem, qualem in Vo exstare videmus a Sallustii consuetudine loquendi alienum esse exemplis docuit hisce: Cat. 32. 2, (huic homini non minor vanitas inest quam audacia) Jug. 19. 2, (silere melius puto, quam parum dicere) Cat. 47. 1 autem (Volturcius docet se nihil amplius scire quam legatos) melius omiserit. sed ut

concedamus Sallustium interdum illum ordinem verborum admisisse, quem codex Vus exhibet, minime tamen inde sequitur, quae in PC leguntur „beneficii quam maleficii m. esse“, prorsus repudianda esse. nam etiam scripturam codicum PC exemplis probari posse Jordanus docuit. praeterea autem ne verum quidem est, quod Weinholdus contendit gravius sententiaeque aptius totius orationis momentum esse Vi verborum ordine recepto. multo enim apertius inter se opponuntur „beneficii“ et „maleficii“ memoria, id quod Memmius consequi voluisse apparet, si duo verba „beneficii“ et „maleficii“ juxta posita sunt, quam si Vi scripturam comprobamus. — sed ecce attulit Weinholdus novum ac plane, ut statuit, manifestum exemplum, quo doceatur in Vo antiquiorem scripturam servatam, in reliquis omnibus corruptam esse. namque Jug. 85. 23 in PC haec verborum collocatio exstat: „majorum gloria posteris quasi lumen est neque bona neque mala eorum in occulto patitur“, in Vo autem hunc ordinem invenimus: „neque mala neque bona“. quam scripturae discrepantiam Weinholdus inde derivandam esse judicavit, quod olim librarius consuetudinis cotidianae recordatione quadam id quod adhuc recte Vo servatum sit, in reliquis licenter mutaverit. minine enim ferendum esse, quod in PC reperiatur, cum Marius non id maxime oratione premat bona posterorum propter gloriam majorum in occulto esse non posse, sed potius id significaturus sit mala posterorum gloria quasi illustrari ita, ut illa in occulto esse non possint. mihi quidem alia mens est. arbitror enim Marium hanc sententiam verbis efferri voluisse gloria majorum omnia sive bene sive male facta posterorum quasi illucescere ita, ut nihil eorum lateat. quam ob rem quam maxime decere filios patrum illustrissimorum illorum facta suis aequare, sin minus id consequi possint, cavere illos, ne majorum magna nomina ignominia afficiant. patet autem, si aliter statuimus, verba „neque bona neque mala“ prorsus supervacanea esse. nam si id tantum orator exprimi voluit propter gloriam majorum posteros a turpibus factis abstinere debere, cur etiam „bona“ addidit? tantum igitur abest, ut Weinholdo et Wirzio (p. 363) assentiamur, ut contra statuamus, si recte ille de loci conditione disputa-

verit, Vi scripturam ne jure quidem defendi posse. cum tamen haec verba, quae in libris mscriptis leguntur, satis explicari possint, quid perversius est, quam ea proferre, quibus omnia potius turbantur, quam ut ad demonstrandum aliquid valeant? — etiam in §§. 3. 26. 30 Weinholdus Vo libro nimiam auctoritatem tribuit, id quod singulis locis examinatis et inter se comparatis facile probari potest. juvat autem illos conjunctos tractare. verba de quibus agitur, haec sunt: in § 3. „quantum cum maxumo beneficio vostro negoti sustineam“ in codicibus PC legitur, contra in VC „quantum cum maxumo vostro benef.“; deinde in §. 26 hic ordo verborum in Po exstat „cum vestro maxumo beneficio“, in VC autem „cum maxumo v. benef.“; denique in §. 30 Vus paene solus „egomet plurimis laboribus et periculis quaesivi“ exhibet, cum in plerisque ceteris „ego meis“ (PC) aut „egomet meis“ (P^3) reperiatur. jam quaestio est, quid judicandum videatur de collocatione pronominis possessivi, quod Weinholdus his tribus locis in Po perversa ratione positum contendit. cognovisse enim ille sibi videbatur Sallustium pronomen possessivum, ubi etiam adjectivum cum substantivo, ad quod pronomen pertineat conjunctum inveniatur, aut inter adjectivum et substantivum aut post illa collocasse. nec rara sane sunt hujus consuetudinis exempla. sic legitur Cat. 35. 1 „egregia tua fides“, ibique „in magnis meis periculis“; Jug. 16. 3 „omnibus meis rebus“, ib. 97. 2 „integris meis finibus“. praeterea etiam Weinholdus attulit locos Cat. 50. 2. Jug. 23. 2. 76. 6. 90. 3; alterius vero collocationis exempla haec exstant Jug. 4. 3 „utili labore meo“, ib. 59. 3 „expeditis peditibus suis“, ib. 113. 6 „cum plerisque necessariis suis“, hist. 2. 96. 2. 3. 61. 1. 4. 61. 1. sed etiam tertiam rationem pronominis collocandi interdum a Sallustio admissum esse apparet loco Cat. 1. 2, ubi „nostra omnis vis“ legitur. his vero praemissis ad ipsos locos, de quibus disseritur, revertamur et, quo jure Weinholdus singulis Pi scripturam Vaticanae posthabuerit, quaeramus. ac primum quidem id assequi non possum, cur ille in collocatione, qualis in §. 3. invenitur, adeo offenderit. quid enim voluerit, cum haec scriberet „collocationem (Pi) quominus probemus, hoc impedit, quod ea adscita vis prono-

minis obscuratur“ equidem non intelligo. id certe video, quod idem ordo verborum („m. v. benef.“) in Vo etiam in §. 26 invenitur, minime inde concludi posse Vi scripturam pro veriore esse habendam. quod autem attinet ad §. 26, ne ibi quidem Weinholdus codicem Pum minus valere suo jure statuit. nam utut de scripturae discrepantia judicamus, id loco Catilinae jam supra allato et infra §. 30, ubi item Weinholdus codicem Pum injuria neglexit, satis demonstratur, per se quidem hanc collocationem „cum vestro maxumo beneficio“ a Sallustii consuetudine non prorsus abhorrere. denique in §. 30 apparet Weinholdum idcirco scripturam Pi repudiare, quod hoc quoque loco in collocatione verborum offendit, qualis exsistit, nisi Vi auctoritatem secuti „egomet“ pro vera scriptura habere malumus. sed quoniam modo exposuimus ordinem „meis plurim. peric.“ utique offensionis nihil habere, caussa non est, cur temere scripturam Pi improbemus. — sed quidquid de his locis dubiis judicamus, id sane concedendum est videri hic illic Pum, ubi aliis locis collocationem elegantiorem et cum usu reliquorum scriptorum magis congruentem exhibet librarii seu negligentia seu consilio contaminatum esse. —

Restant loci satis multi, ubi in Po si non praeferendam, at certo haud minus bonam scripturam, quam in Vo inveniri putamus. perperam vero Weinholdus et Dieckius fecerunt, quod his quoque singulis locis ita usi sunt, velut ac si auctoritas et praestantia Vi admodum confirmari eis possit nec potius, quae in utroque libro Vo et Po scripta sunt, per se quidem aeque bene sese habeant, ut nisi alia caussa extrinsecus accedat, discerni certe non possit, utrius codicis scriptura singulis locis maxime comprobanda sit. e maximo numero hos tractandos elegimus. Cat. 20. 2 in Vo legitur „foret“, in PC „forent“. utramque scripturam ferri posse Kritzius (ad Cat. 10. 1) demonstravit, Herzogius autem (ad h. l.) plurali numero vim verborum admodum augeri judicavit. quod vero Weinholdus dicit exemplis, quae Badstuebnerus (de Sallust. dic. gen. progr. gymn. Friderico-Guilelm. Berolini a. 1863 p. 5) attulit, scripturam Pi non probari, hac in re errat. loci, quos Badstuebnerus collegit, hi sunt: Jug. 38. 8.

ib. 52. 4. 68. statuit autem Weinholdus, quod his locis duo substantiva particulis „atque“ „et“ conjuncta sint, aliter illos sese habere, quam hunc, ubi duo substantiva particula „que“ conjuncta inveniuntur, id quod efficiatur quam maxime diversa vi ac notione trium illarum particularum. sed etsi concedimus paullum inter illos interesse, minime tamen ex eo quod, quae substantiva particulis „atque“ „et“ conjunguntur, sua quidque vi juxta se ponuntur, quae vero particula „que“ ita, ut posterius quasi rationem antecedentis accuratius indicet, (cfr. Hermannus ad Elmsleyi Med. Lips. p. 33, Zumptius gr. §. 333) id sequitur, illa exempla a Badstuebnero allata cum hoc comparanda non esse. itaque, dum alia argumenta Weinholdus afferat, nos quidem „forent“ pro integro habebimus. nec multum valere etiam Servii testimonium putamus, quamquam et Leutschius (in phil. 21. 19.) et Weinholdus illud plurimi faciendum statuerunt. vix enim unquam, si omnibus locis grammaticorum et commentatorum testimonia nimis anxie respicias, de conditione singulorum locorum, quales in codicibus exstant, verum judicium proferre audeas. satis enim constat haud raro a grammaticis ea tradita esse, quae a scriptura codicum optimorum prorsus abhorreant; id quod non solum iis locis omnibus factum videmus, ubi grammatici negligentius utpote ex memoria verba scriptorum commemoraverunt, sed ibi quoque, ubi verbis, quae afferunt, aliquid probare student, quibus locis majore diligentia usos esse illos credibile est. — miror, quod Cat. 20. 14 Dieckius Pum quamquam dubitantur Vo postposuerit atque omissa particula „en“, ut est in Vo, orationem expeditius procedere censuit. nam ut omittam Jordanum de Vi discrepantia illo loco nihil annotavisse, etiam si recte sese habet, quod unus Dietschius refert, tamen jure Wirzius (p. 364) Dieckii sententiam rejecit. neque enim subsequens enuntiatio ac potissimum „praeterea“ languent, modo verba „quam optastis“ adjectivi „exspectatae“ loco posita esse statuamus. lacunis autem Vum non prorsus vacare cum alibi cognovimus, tum hoc loco error librarii praecedente voce „expergiscimini“ etiam verisimilior fit. — deinde Cat. 51. 21 Weinholdus argumentatione satis artificiosa et contorta, cui tamen vix quisquam assentiatur, verba,

ut in PC reperiuntur „in sententiam“ ferri non posse demonstrare studuit ac potius cum Vo P[1] E „in sententia“ legendum esse arbitratus est. idem Dieckius quoque contendit. sed rem accuratius tractemus. Caesar oratione, unde verba controversa desumpta sunt, Catilinarios defendit ab illis, qui capitis eos damnandos esse adversus provocationem antea censuerant. quorum in numero cum etiam Silanus consul designatus esset, magnopere eum reprehendit, quod item ac ceteri senatores tale facinus probare non dubitaverit. legibus enim vetitum erat, ne de capite civium Romanorum injussu populi judicaretur (cfr. Cic. p. Rab. 4. 12, Jacobsius ad Cat. 51. 8 et 22.). quo magis autem Silanus cognosceret, quanto commisso indulgeret, Caesar ironice et acerbe ita loquendo perrexit „sed per deos immortalis, quam ob rem in sententiam non addidisti, ut prius verberibus in eos animadverteretur?“ quod si consideramus, dubium esse non potest, quin rectissime se habeat scriptura Pi „in sententiam“. verba autem „in sententiam“ et „in sententia“ ita inter se differunt, ut „in sententiam addere“ significet judicium ante in formam aliquam redactum addidamento supplere, „in sententia addere“ nihil aliud, nisi tum cum contionaris, aliquid praetermissum postea exponere. — frustra Cat. 52. 29 Weinholdus et Dieckius scripturam Pi „prospera omnia cedunt“ tanquam falsam coarguere conati sunt. nam etsi concedimus ea, quae in Vo leguntur „prospere omnia cedunt“ sat multis exemplis e Cicerone, Tacito, Sallustio ipso desumptis confirmari posse, quid obstat, quin Sallustium adjectivo „prospera“ hic usum esse credamus? praesertim cum alia adjectiva adverbiorum loco prorsus eodem modo atque hic ab illo usurpata esse constet. interesse sane aliquid inter adjectivorum et adverbiorum usum ne ego quidem negaverim. prorsus autem illis assentior, quae de hac re accuratius exposuerunt Dietschius (in ed. a. 1846 ad h. l.) et Kritzius (ad Cat. 26. 5). exemplis ab illis hominibus diligenter collectis (Cat. 20. 2. Jug. 63. 1. Tac. ann. 2. 5) Eussnerus (p. 168) recte addidit Cat. 26. 5. — sed quid de ratione, qua Weinholdus in arte critica factitanda versatur, judicandum videtur, si ea quae de scriptura Vi „adgredimini“ Cat. 58. 12 argumentatus est, comparamus

cum illis, quae antea ad Cat. 20. 15 exposuit. ibi enim scripturam Vi „utemini“ adeo verbis exornavit, ut ubique Sallustium in cohortationibus futuro usum esse facile suspiceris; hic vero imperativum, quem nescio quibus caussis commotus priore loco rejiciebat, ultro in ordinem verborum inseri jubet pro conjunctivo „aggrediamini“, quem omnes libri mscripti praeter Vum tuentur, quod nusquam Sallustius in talibus cohortationibus contionantes conjunctivo utentes introducat. atque etiam singula exempla hujus rationis attulit Cat. 52. 33. Jug. 10. 8. 14. 6. 85. 47. at nihilominus errasse illum quam luculentissime demonstratur verbis, quae Jug. 110. 4 leguntur. hunc locum si respexisset ac si reputasset, quae Kritzius ibi annotavit, vix illum tam temere et praepropere Pi scripturam repudiasse nobis persuasum habemus. — Jug. 10. 2 in editionibus Kritzii, Dietschii, Jordani, Jacobsii legitur, quod codicibus PC traditum est „meque regnumque meum gloria honoravisti“. quae verba, postquam Cortius his exemplis illustravit Cat. 12. 4 et 35. 3, nemo adhuc usque ad Weinholdum et Dieckium a Sallustiano genere dicendi abhorrere atque inepta insolenterque dicta esse putavit. nunc vero illi primi minime illa ferenda esse docuerunt. neutrum enim exemplum satis aptum esse, quo aliquid demonstretur. jusserunt igitur legendum esse cum Vo „gloria oneravisti“, quod a sua parte locis similibus confirmare studebant. nullum tamen exemplum attulerunt, quod prorsus cum Vo congruat, ita ut facile eodem modo ac Weinholdus sic distinguere possis: aliud est (exemplis utor a Weinholdo allatis) „laudibus onerare“ (Liv. 4. 13), aliud „promissis onerare“ (Sall. Jug. 12. 3), aliud „gloria onerare“. neque item exemplum a Dieckio e Just. 5. 4. 13 allatum idoneum videtur: itaque donec Weinholdus et Dieckius alia attulerint, certe licebit, num recte dictum sit „gloria onerare“ eodem jure dubitare, quo illi Pi scripturam in dubitationem vocaverunt. — quod Jug. 14. 9 in reliquis codicibus omnibus exstat „tuis“ in uno Vo omissum est, nec quemquam illam vocem verbis „hucine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, ut quem tu cum liberis tuis“ et q. s. perlectis desideraturum esse puto. attamen caussa non est, cur Weinholdo assentia-

mur, qui auctoritatem Vi secutus pronomen ferendum non esse statuit. quamvis enim constet Romanos pronominibus possessivis plerumque usos esse, ubi momentum aliquod vel vis in illis posita erant aut ubi omisso pronomine sententiae obscuritas oriri poterat, Sallustium tamen ab hac consuetudine saepius deflexisse praeter hunc locum etiam edocemur locis Jug. 10. 1. 11. 3. 24. 3 (quem locum Weinholdus quidem p. 222 satis temere rejiciebat) aliis, quorum longe plurimis ne in Vo quidem pronomen omissum est. praeterea autem, quod Dietschius (in ed. a. 1868. praef. p. 8.) Weinholdo probante statuit verisimilius esse pronomen e glossa in libros irrepsisse, quam a subtili aliquo grammatico ejectum esse, quis credat? docere certe nos debebat ille homo doctus, quamnam caussam glossae additae sibi ipse excogitaverit. — Jug. 24. 3 etiam postquam Pratjius (p. 46) de loco disputavit, satis dubium est, num re vera Sallustius praepositionem „ad“ scripserit. etenim minime plus justo tribuendum est auctoritati Septimii, qui fortasse casu aliquo 2. 51 „qui eum oratum venissent“ scripsit. — Jug. 31. 17 equidem caussam non video, cur omnes editores, quatenus eorum libris uti licuit, atque in eorum numero, qui alibi auctoritatem Pi plurimi facere solet, Jordanus, codicum VP[1] scripturam „quo majus dedecus est“ pro eo, quod in PC exstat „quo magis dedecus est“ in ordinem verborum receperint. utrumque enim bene dici posse vix est, quod moneam. accedit, quod Sallustium usum adverbiorum adjectivorum loco cum verbo auxiliari conjunctorum valde adamasse exemplis, quae Dietschius (in ind. Sallust. p. 372) et Badstuebnerus (p. 11) diligentissime collegerunt, satis comprobatur. — Jug. 31. 18 in omnibus codicibus praeter Vum, quo „vobis“ traditur, „vos“ legimus, quod Weinholdus Cortium secutus non ferendum esse judicavit. ac concedendum est scripturam codicis Vi „vobis“ facile elegantiorem videri; num vero melior sit, nos quidem valde dubitamus. nam etiamsi „vos“ retinemus, eadem inter se opponuntur, quae a Memmio inter se opponi Weinholdus intellexit. nam verba „vobis“ et „illis“, „fecisse“ et „occidisse“ singillatim sibi respondent; at „vos fecisse“ „illis occidisse“, tanquam in unam notionem comprehensa contraria sunt. jam supra

antem memoravimus non ubique Sallustium illam orationis concinnitatem assequi studuisse, qua Ciceronis scripta excellunt. itaque, quamquam verum est, si recte intelligimus, illud Licinianum (p. 42 ed. Bonn.) Sallustium non ut historicum sed ut oratorem legendum esse, minime tamen stilus Sallustianus cum Ciceronis comparandus est, qua de re contulisse juvabit, ut alios omittam, Gerlachium (in edit. vol. 3. p. 307 seqq.). — Jug. 85. 11 gravioris momenti exemplum exstare Weinholdus judicavit, quo comprobaretur codicis Vi auctoritatem magis quam reliquorum ac praecipue Pi sequendum esse. nam cum in PC haec scripta sint: „ita plerumque evenit, ut quem vos imperare jussistis, is imperatorem alium quaerat“, in VC vero pro „imperare“ reperiatur „imperatorem“ ac post „is“ pronomen „sibi“ insertum sit, hanc scripturae discrepantiam Po vitio, Vo landi vertit. dixit autem non facile fieri potuisse, ut „imperatorem“ ex „imperare“ oriretur; deinde propter ambiguitatem orationis „sibi“ Sallustium necessario ascribere debuisse. qua in caussa ne Weinholdo assentiar, multa me prohibent. nam primum quidem verum non est, quod ille contendit verba „is imperatorem alium quaerat“ omisso „sibi“ facile sinistre accipi posse. quis enim, qui ratione salva utitur, illa aliter intelligere poterit, quam imperatorem designatum alium quaerere, qui sibi consulat, ut ipse quidem nomen imperatoris prae se ferat, alter autem rationem monstret, qua omnia agenda sint. deinde vero verisimilius videtur pronomen „sibi“ a librario sive grammatico ad marginem adscriptum deinde in verba irrepsisse, quam de industria praetermissum esse. itaque si hoc loco scripturam Vi minus probamus, ne altero quidem illam praestare putabimus. fieri certe potuit, quod Weinholdus suspicatus est, ut librarii accusativum „imperatorem“, quum parum eum intelligerent, cum infinitivo mutarent; nec minus tamen per se probabile videtur illos, quum offenderent in infinitivo „imperare“ sic nude posito, „imperatorem“ pro genuina scriptura substituisse. nam utrumque recte dici posse nemo negabit. patet autem etiam hoc exemplo, quam caute in eis locis eligendis agendum sit, quibus judicium de fide et auctoritate codicis alicujus confirmetur. plerique enim ita comparati

sunt, ut satis magna probabilitate hanc vel illam scripturam quae in singulis invenitur, defendere possis. — Jug. 85. 13 in PC legitur „et“, in Vo „aut“; hoc vero cum duae notiones audiendi et legendi non conjungendae sint, sed separandae multo praestare ac tali exemplo fidem codicis Vi admodum firmari posse Weinholdus et Dieckius sibi visi sunt. sed credo, nisi aliis locis auctoritas illius firmari possit, illam semper satis dubiam futuram esse. haec vero est illa principii petitio, quam Weinholdus quondam (p. 191. ann. 15) Jordano exprobravit. — erravit Weinholdus, quod Jug. 85. 29 „pectore“, quod in codicibus Vo et Basiliensi, in hoc autem superscripto „corpore“ legitur, longe praestare putavit ei, quod in PC exstat „corpore“, cui verbo in Po quidem „pectore“ appictum est. apparet enim, cum et „corpore“ et „pectore“ per se bene se habeant, illud non confirmari Quintiliani testimonio, qui 2. 15. 7 similiter scripsit (Manium Aquilium defendens Antonius cum scissa veste cicatrices, quas pro patria pectore adverso suscepisset, ostendit) neque item verbis Dietschii, qui (in ed. min. a. 1868 praef. p. 11.) vulnera pectore adverso excepta multa laudabiliora et gloriosiora esse statuit, quam quae advorsa corpore, ergo vel ventre vel pedibus inflicta sint, quasi pectus non et ipsum adversi corporis pars sit. — denique Jug. 85. 42 Weinholdus et Dieckius „omnibus“, cum in Vo et aliquot infimae notae libris scriptum inveniatur, quamquam in PC omissum est, ita defendere conati sunt, ut dicant illud consilio ac sententiae totius orationis optime respondere neque a consuetudine Sallustii alienum esse. recte fortasse ita judicaverunt; nos vero, cum vocem omissam vix quisquam desideret, supervacaneam illam neque necessariam esse arbitramur, quaque eo libentius caremus, cum in codicibus satis bonis omnino non reperiatur. —

Jam mihi liceat indiculos proponere, quibus quid de singulis locis statuendum videatur, facilius cognosci possit. ac primum quidem illos locos sub uno aspectu ponam, quibus Vus sive solus sive cum aliis libris mscriptis veram scripturam servavit, Pus autem corruptus videtur.

Cat. 20. 2 spectata VC	expectata P
— 20. 5 quae mente agitavi VC	quae mente [*frequenter mente versuavi*] agitavi (haec glosa est s. s. p.) P
— 20. 6 ipsi (p. in marg.) V	ipsos PC
— 20. 13 habemus V (?) p	habeamus P
— 35. 1 in magnis meis VC	magnis in meis PC in meis magnis C deteriores
— 51. 5 infida et advorsa VCp	infida atque advorsa PC
— 51. 15 severior PC	sevior PC
— 52. 11 sita est VC	positaē P
— 52. 18 intentius Vp i. m.	attentius PC
Jug. 10. 1 ego te, Jugurtha VC	ego, Jugurtha, te PC
— 14. 10 ab V (?) p	a PC
— 14. 11 et V	atque PC
— 14. 12 multum laboris V	multum laborem PC
— 24. 3 incertum est Vp i. m.	incertus sum PC
— 31. 19 contemnit scilicet VC	contempnit [*profecto*] scilicet (glosa est s. s. p.) P
— 85. 24 fateor V	patior PC
— 85. 30 parvi Vp	parum PC
— 85. 33 praesidium Vp (?)	praesidia PC
— 85. 35 mollitiam VC	mollitiem PC
— 85. 41 corporis pulverem et alia V, singuli ex C et z	corporis sudorem pulverem et alia PC.

Omisi in hoc indice omnes eos locos enumerare, quibus codicem Pum lapsu calami depravatum esse patet, neque varietas lectionis ea est, ut aliam ob caussam aliquid mutatum esse suspiceris. sed jam illos locos proferre juvat, ubi Vi auctoritas minus valere videtur, ita tamen, ut hic quoque locos librarii erroribus depravatos non enumerem.

Cat. 33. 1 patria VC	patriae PC
— 33. 1 nostrum cuiquam V	cuiquam nostrum PC
— 35. 6 Orestillam tibi commendo V	Orestillam commendo PC
— 51. 4 quae — consuluerunt VC	qui — consuluerint PC
— 51. 25 neglexeris VC	neglegeris P
— 51. 35 atque haec ego V	atque ego haec PC
— 52. 2 longe alia mihi V	longe mihi alia PC
— 52. 7 conquestus V	questus PC
Jug. 14. 1 adfinium loco V	in adfinium locum PC in adf. loco det. libri
— 24. 9 scripsi V	scribo PC Servius Fuld. in Verg. Aen. I. 392.
— 31. 2 inviti V	inulti PC
— 31. 10 honores non praedas V	honori non praedae PC
— 31. 25 amittatis V	omittatis PC
— 31. 26 vindicantur V	vindicatum PC
— 85. 5 beneficia in rem publicam V	benefacta rei publicae PC
— 85. 10 veteris prosapiae multarum imaginum et nullius stipendii V	veteris prosapiae ac (sic PC aut C) multarum imaginum et nullius stipendii PC cfr. Prisc. 2. 221 et 360.

Jug. 85. 14 obiciuntur VCp s. s.	objectantur PC
— 85. 16 matre — possit — maluisse V	patribus — posset — voluisse PC
— 85. 46 sciens et V	sciens sed PC.

Denique maximum eorum locorum numerum proponam, quibus nisi praejudicata opinione de Vi et Pi auctoritate vix unquam satis certe judicari possit. ac primum igitur his locis praeter eos, quos infra enumerabimus, cum accuratius eos tractaverimus, quae collocatio verborum Vi an Pi praeferenda sit, dubium est: Cat. 51. 19; 51. 21; 51. 41; 52. 34; Jug. 10. 3; 14. 15; 14. 25; 31. 16; 85. 22; 85. 39; 85. 40; 85. 45; 85. 46. deinde autem de his locis dubitare licet.

Cat. 20. 2 foret Vp s. s. p.	forent PC
— 20. 6 magis magisque V	magis PC
— 20. 9 o fortissimi viri VC	o om. C s. s. P
— 20 10 uobis Vp i. m. C	nobis PC cfr. Prisc. 2. 364.
— 20. 14 illa illa V (? cfr. Wirz. ind. phil. 5. 364)	en illa illa PC
— 20. 15 hortantur Vpz	hortentur PC
— 20. 16 utemini VCp	utimini PC
— 35. 1 Catilina salutem dicit V	salutem dicit P s. s. om. vel pro eo substituunt suo C
— 51. 9 sententiam V	sententias PC
— 51. 10 permovet Vp i. m.	permovit PC
— 51. 10 accendet VCp i. m.	accendit PC
— 51. 12 agunt VCp i. m.	habent PC
— 51. 21 in sententia VC	in sententiam PC
— 51. 23 item de condemnatis	item condemnatis PC
— 51. 33 initium magnae cladis V	magnae initium cladis PC
— 51. 34 fuit V	fuerat PC
— 52. 12 scelestis Vp i. m.	sceleratis PC
— 52. 18 paulum VC	paululum PC
— 52. 26 misereminі VC	misereamini PC
— 52. 29 prospere omnia VC	prospera omnia PC
— 52. 32 dis atque hominibus Vp i. m.	dis aut hominibus PC
— 52. 36 sum̄a V	maxima PC
— 58. 11 pugnare pro potentia paucorum VC	pro potentia paucorum pugnare PC
— 58. 12 aggredimini VC	aggrediamini PC
— 58. 21 cavete ne inulti VC	cavete inulti PC
Jug. 14. 1 exercitus V	exercitum PC
— 14. 3 vellem — posse V	vellem — posse me PC
— 14. 9 cum liberis V	cum liberis suis PC
— 14. 9 nunquam quieta erit VP s. s.	nunquamne PC
— 14. 11 regno meo VC	meo regno PC
— 14. 15 propinquos ceteros V	propinquos ceteros meos PC
— 14. 15 maerore atque luctu V	maerore et luctu PC
— 14. 24 neque emori licet V	neque mori licet PC cfr. Wirz. ll.
— 24. 2 saepe vos oratum mitto V	saepe ad vos oratum mitto PC

Jug. 24. 10 cruciatum V	cruciatus PC
— 31. 17 majus VC	magis PC
— 31. 18 vobis V	vos PC
— 31. 19 contemnet V	contemnit PC
— 31. 28 beneficii memorem esse quam maleficii VCp i. m.	beneficii quam maleficii memorem esse PC
— 85. 2 quanto — eo V	quo — eo PC
— 85. 3 vestro beneficio VC	beneficio vestro PC
— 85. 3 simul aerario V	simul et aerario PC
— 85. 11 imperatorem VCp i. m.	imperare PC
— 85. 13 aut VC	et PC
— 85. 17 faciant VC	faciunt PC
— 85. 23 neque mala neque bona V	neque bona neque mala PC
— 85. 23 ita se res habent VC	habet PC
— 85. 26 maximo vestro beneficio VC	vro maximo beneficio PC
— 85. 26 meque vosque V	me vosque PC
— 85. 29 pectore VBp	corpore PC
— 85. 30 egomet pVC, quorum unus egomet meis.	ego meis PC
— 85. 32 profuerunt VCp i. m.	profuerant PC
— 85. 34 ego VC	ergo PC
— 85. 35 nam V	namque PC
— 85. 39 incultum moribus VC	incultis moribus PC
— 85. 42 omnibus flagitiis V	flagitiis omisso omnibus PC
— 102. 5 quod V	cum PC
— 102. 8 principio V	a principio PC.

Praeter hos locos etiam nonnulli exstant, ubi nec Pus quique cum illo faciunt nec Vus verba genuina exhibent. eadem verba corrupta in utroque codice leguntur Cat. 35. 3 („non quin — non possem“ pro „non quin — possem“) Cat. 44. 5 („qui sim“ pro „quis sim“) Cat. 52. 16 („si in“ pro „sin in“) Cat. 52. 20 („si ita res esset“ pro „si ita esset“) Cat. 58. 21 („virtute“ pro „virtuti“) (cfr. Dieckius p. 53). diversa, quae tamen item depravata sunt, his locis leguntur. Cat. 20. 7 Jordanus (Herm. 1. 234) et Weinholdus (p. 189) concesserunt locum adeo corruptum esse, ut vix quidquam satis certum e codicum discrepantia, quae ibi invenitur, (Vus: „boni atque strenui, nobiles et ignobiles“, Pus: „strenui boni, nobiles atque ignobiles“) elici possit, qua in re prorsus cum illis consentio. — deinde Cat. 33. 2 librorum mscriptorum „vestri“ (Vp i. m.) aut „vostri“ (PC) falsa esse testatur Gellius N. A. 20. 6. 14, qui „saepe majores vestrum miseriti“ sincerissimam scripturam dicit. — tertius locus invenitur Cat. 52. 35, ubi in Vo legitur „Catilina cum exercitu faucibus urget; alii intra moenia atque in sinu sunt hostes“, in PC autem „— intra moenia

atque in sinu urbis sunt hostes". quibus in verbis Linkerus primus offendit atque ita legendum jussit (acta societ. Vind. 1854 p. 278) „Cat. c. exercitu in faucibus Etruriae agit, alii intra moenia atque senatu sunt hostes". nempe intellexisse sibi visus est homo sagacissimus minime inter se opponi posse verba: „Catilina faucibus urget" et „alii sunt intra moenia hostes". itaque totum locum a Sallustio ad exemplum Ciceronis (in Cat. 1. 2. 5) effictum esse ratus emendationibus satis dubiis eum sanare studuit. aliter vero M. Hertzius (phil. 12. 378) de loci condicione judicavit, qui hanc genuinam scripturam fuisse statuit: „C. c. exerc. faucibus urget, alii in sinu sunt hostes" (cfr. Dieckius p. 47). sed ne hoc quidem omnium assensum tulit. Dietschius enim (in ed. a. 1859 comm. cap. 4. p. 69 seq.) et Weinholdus (p. 191) ea, quae in Vo exstant, prorsus comprobaverunt, Kritzius autem, Jordanus, Jacobsius Pi verba retinuerunt. in loco pertractando necesse est, quo certius de ejus tota ratione judicemus, ut ab iis verbis ordiamur, quae in libris mscriptis eodem modo scripta leguntur. posse quidem „faucibus urgere" sic dici, ut in §. 24 invenitur „dux hostium supra caput est" exemplis a Kritzio (ann. ad h. l.) allatis (Plaut. Cas. 5. 3. 4; Cic. pro Cluent. 31. 84; Vell. 5. 33, quibus addi poterat Flor. 1. 10. 2) satis demonstratur. nihilominus tamen quaeritur, num verba, si ita ea explicamus, bene cum illis, quae sequuntur, cohaereant; id quod admodum dubium videtur, si quae Linkerus de hac re docuit, accurate perpendimus. videlicet nihil aliud vox „faucibus" significat hoc loco nisi angustias. jam prius autem illam eodem modo intellectam esse apparet glossemate, quod in codicibus aliquot deterrimis invenitur „Italiae". quae fuerint illae angustiae, si loci Ciceroniani meminerimus, facile perspicitur. patet enim Catonem designare angustias illas Etruriae, quas qui occupaverat a septemtrionibus Romam ingredi poterat. hanc vero vim ac notionem verbis inesse eo magis negligi potuit, cum in codicibus vetustissimis optimisque „in" ante „faucibus" intercidisset, quod in posterioribus interpolatisque e conjectura denuo additum est. scripturam codicum etiam magis depravatam esse, ut Linkerus judicavit, minime statuamus oportet. quodsi ad reliqua pergi-

mus, apparet ea, quae in Vo exstant, offensionis nihil habere, neque caussam esse, cur Hertzio assentiamur, qui „intra moenia atque" a librario aliquo injuria inserta esse existimavit. contra quod in codicibus PC ad „sinu" additum invenitur „urbis", mirum in modum dictum est. namque non intelligitur, quomodo verbis „in sinu urbis" post verba „intra moenia" Cato, quod tamen assequi studuisse videtur, periculum a Catilina imminens efferre potuerit. gradationem autem orationis in verbis „alii intra moenia" et q. seq. omisso „urbis" inesse nemo non videt. dicit enim alios hostes ante portas esse, alios in ipsa urbe atque adeo in medio senatu. eum enim significat verbo „sinu", quamquam necessarium non est, ut Linkerum secuti „senatu" pro „sinu" a Sallustio scriptum esse putemus. patet vero Catonem acerba irrisione Caesarem denotare, qui ante illum Catilinarios defenderat, quippe qui jam dudum suspectus erat, tanquam interior Catilinae sectator esset. illum igitur verbis ambiguis terreri voluit. nihil autem Dietschius vidit, qui Catonem, si talia effatus esset, obstrepentium tumultu perculsum fore contendere conatus est. vocem vero „urbis", cum „sinu" a grammatico aut librario parum intelligeretur, ut sententia magis eluceret, additum esse, jam satis credibile fore spero. ceterum plane similiter apud Tacitum (hist. 3. 38) „in urbe ac sinu" conjunctum legitur. — denique etiam Jug. 31. 28 „memorem" (pro „immemorem") et Jug. 85. 36 „haec atque alia" (pro „haec atque alia talia") quod VP praebent, in utroque codice corruptum est.

Sed haec hactenus. jam ne longior sim, comprehendam, quae supra accuratius de fide atque auctoritate codicis Vi nr. 3864 argumentatione quam potuit fieri firmissima demonstravisse me existimo. ac primum quidem exponere studui codicem illum propter totam naturam atque indolem satis dignum videri, cujus in verbis Sallustianis recensendis rationem habeamus. deinde singulos locos tractavi, scilicet ut ex eorum condicione aliquid ad rem propositam dijudicandam concluderetur. tum, quae vera aut falsa aut incerta cum scriptura ceterorum codicum atque inprimis Pi comparata exstare videbantur, collegi atque indicibus congesta proposui.

quos si cum Weinholdi et Dieckii contuleris, facile apparebit me compluribus locis illorum judicium improbasse. quod quo jure fecerim, alii decernant. mihi quidem tota quaestione iterum repetita, ut profitear, quod sentiam, Weinholdus atque ex parte quidem etiam Dieckius auctoritati Vi nimium tribuisse ac ceterorum codicum, praecipue Pi scripturam nimis neglexisse videntur. nam quamquam concedo in uno Vo, utpote qui inter vetustissimos Sallustii libros mscriptos referendus est, hic illic vera et genuina servata esse, tamen praetermittendam non est etiam multa menda multasque corruptelas ac plura quidem, quam Weinholdus et Dieckius statuerunt, in illo reperiri, quibus ceteri boni vacant. illa vero non inde originem duxisse, quod quae est Jordani sententia, (Herm. 1. 234 seqq.) grammaticus aliquis consilio verba Sallustii mutavit, sed potius plurimas librariorum negligentia aut inscitia ut etiam alibi ortas esse, jam Weinholdus ipsis exemplis, quae Jordanus attulit, ac firmissimis, ut mihi videtur, argumentis demonstravit (p. 187 seqq.) neque ego ipse aliis locis vestigia ejusmodi corruptelarum invenire potui, quibus hic illic etiam Pum non vacare supra statuimus. quibus expositis non mirum videbitur, si Vi auctoritatem eam esse contendo, quae quamvis non tanta sit, quantam Weinholdus et Dieckius censuerunt, nec tam parva, quam Jordanus, minime tamen in textu Sallustiano recensendo praeter ceterorum bonae notae, ut PP¹B negligenda sit. nam ut hoc addam, vix assentiendum est Jordano, qui uno libro Po tanquam justo fundamento artis criticae in Sallustii libris de conjuratione Catilinae deque bello Jugurthino exercendae usus est. quod quominus nos faciamus, locis satis multis prohibemur, quibus Pum cum Vo comparatum corruptum esse apparet. contra Gerlachium meliorem rationem invenisse arbitror, qui (ann. Heidelb. 1868 p. 882 seqq.) tres codices PP¹B una cum Vo ubique adhibendos esse statuit. —

Quod quidem attinet ad historiarum fragmenta, quae uno codice Vo servata sunt, fieri non potest, quin illum unum ubique sequamur. quanta autem sit in illis scriptis Sallustianis Vi auctoritas, aliquo modo concludi potest, si consideramus, quanta sit illa in libris etiam aliis codicibus traditis, quos cum Vo comparare licet. —





MAR 30 1875


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 096 782 3